




DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
OSCITATIONE IN  
ENIXV

QVAM  
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICI  
SVB PRAESIDIO  
EXCELLENTISSIMI ATQVE CELEBERRIMI VIRI  
IOHANNIS GEORGII ROEDERERI D.  
MED. ET ANAT. P. P. O. ACADD. IMPER. PETROPOL.  
REGG. SVEC. ET GOTTING. SOC. PRINCIP.  
GOTTING. PHYSIC.  
FACVLT. MED. H. T. DECAN.  
PRO SVMMIS IN MEDICINA HONORIBVS  
AC PRIVILEGIIS LEGITIME OBTINENDIS  
D. XVI. SEPT. M. DCC. LVIII.  
PVBLICE DISPVTABIT  
IOHANNES DAVID LAPEHN  
PETROPOLITANVS.



GOTTINGAE  
LITTERIS POCKWITZII ET BARMEIERI ACAD. TYPOGR.



11

DISSERTATIO INUVORALIS MEDICA  
DE  
OSCITATIONE IN  
ENIXV

CONSENSU ORATIONE ORDINIS ABBACIS  
SVE FRASISIO  
PROMPTISSIMO ATQUE CELEBRITATE FUI  
IOHANNIS GEORGI RODERERI D.  
MED ET ANNI 1780 CAENDI IN AUSTRIA  
REGG SALE ET GOTTING SOC. PRINCIP  
GOTTING P. 1811  
P. 1811 H. T. DECAN  
PRO SVAMIA ET MADRINA HONORARIIS  
AC PRIVILEGIIS REGIIS IN SYNDIS  
D. 1780 M. 1780  
IOHANNES DAVID LATHEN  
V. S. GOTTING

\*\*\*\*\*  
GOTTING  
LITTERIS PUBLICIS ET HARMONIAE SOC. PRINCIP.





ILLVSTRISSIMO DOMINO  
DOMINO  
PANAIOTAE CONDOIDI  
MEDICINAE DOCTORI  
SACRATISSIMAE IMPERATORIAE OMNIVM  
RVSSIVM MAIESTATI  
A SECRETIORIBVS CONSILII  
PRIMO ARCHIATRORVM COMITI  
RERVMQVE MEDICARVM  
PER VNIVERSAM RVSSIAM DIRECTORI  
SVPREMO  
ACADEMIAE SCIENTIARVM PETROPOLITANAE  
MEMBRO HONORARIO  
&c. &c.

DOMINO MEO INDVLGENTISSIMO.





ILLVSTRISSIMO DOMINO  
DOMINO  
PANAIOATAE CONDIDIDI  
MEDICINAE DOCTORI  
SACRATISSIMAE IMPERATORIAE OMNIVM  
RUSSIARVM MAIESTATI  
A SECRETORIBVS CONSILII  
PRIMO ARCHIAETORVM COMITI  
RERVMOVE MEDICARVM  
PER VNIVERSAM RUSSIAM DIRECTORI  
SVPERMO  
ACADEMIAE SCIENTIARVM PETROPOLITANAE  
MEMBRO HONORARIO  
&c. &c.  
DOMINO MEO INDVLGENTISSIMO



ILLVSTRISSE DOMINE,  
DOMINE INDVLGENTISSE!

**C**ogitanti mihi, cui potiffi-  
mum hocce academicae vi-  
tae exactae specimen dicarem; statim  
sum-



summa illa, quae TV ILLVSTRIS-  
SIME DOMINE! in me contulisti beneficia,  
in mentem venerunt. Non multum  
igitur hac in re haesitavi. Cui enim  
potius illud dicarem, quam qui pater-  
no ac summo semper me amplexus est,  
amore? TIBI igitur, INDVLGENTIS-  
SIME DOMINE! pro singulari TVA be-  
nignitate gratias unice debeo. TIBI illas  
dico; TIBI aeterna eaque summa men-  
tis pietate sum devinctus. O Uti-  
nam votorum meorum, quae tanta  
beneficia postulant, compos fieri pos-  
sim.



sim. DEUS TIBI ILLUSTRIS-  
SIME DOMINE benedicat! DEUS TE *Poten-*  
*tissimae principi* nostrae confervet; De-  
us TE patriae; mihi, ac omnibus con-  
fervet, quos summo TVO favore, sum-  
maque TVA benignitate dignaris. Quae  
autem summa illa, a tenerrima inde ae-  
tate in me a TE collata beneficia sunt,  
iis et in posterum me prosequere,  
certeque TIBI habe persuasum, homi-  
ni TE favere, qui ardentissimas con-  
tinuo ad aeternum Numen pro  
TVA salute mittit preces, quique ad  
cine-



cineres usque summa semper cum men-  
tis devotione erit

*ILLVSTRISSIMI NOMINIS*

*TVI*

Dab.

Gottingae

d. XVI. Sept.

A. S. R. M.DCC.LVIII,

cultor devotissimus

*IOH. DAV. LAPEHN,*





DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA  
DE  
OSCITATIONE IN ENIXV.

*Occasio scribendi & tractationis ordo.*

**S**olent in parturientibus etiam a vulgo mulierum attendi Oscitationes, a quibus scilicet non parum periculi metuunt tam ad enixum remorandum, quam ad salutem puerperae prosterndam. Neque sane levis momenti haec res videri debet: siquidem ab Oscitatione complura signa capiuntur medicorum filiis in sanitate pariter ac morbis, neque tantum ad spem bonae valetudinis, sed etiam ad praesagium interitus. Et quod

A

I  
R.  
M  
A







speciatim ad partum attinet, ab antiquis inde temporibus animadversum est, Oscitationem, quae in illo labore incidit, malum omen praebere & gravissima secum ferre damna. Qua sententia PLINIVS MAIOR, (1) *Oscitatio quidem, inquit, in exitu lethalis est*: CAJVS autem JVLIVS SOLINVS, (2) *Lethali mora Oscitatio suspendit puerperia*. Quum igitur de hoc argumento nulla, quod sciam, singularis extet tractatio, digna mihi res visa est, quam pro specimine inaugurali studiosius latiusque inquirendam atque explicandam sumerem. Exponam autem primo ex phaenomenis observationibusque, quantum ad propositum attinet, quaenam sit Oscitationis ratio, qui effectus in actiones vitae & valetudinis reliquas, speciatim in enitendi partus laborem: tum haec ad opus pariendi applicabo, & ostendam, quomodo illud afficiatur ab Oscitatione, quidve inde timendum aut sperandum sit: denique subjiciam, quid medicus in hoc negotio agendum habeat ad periculum & damna importunae Oscitationis avertenda aut corrigenda. Faxit Deus feliciter!

§. II.

- (1) in *Historia Naturali*, Lib. 7. Cap. 6. ex quo sumfisse videtur GER. BLASIVS, dum in *Medicina Univerfa*, Therapeutica Speciali Libro 3. Sect. 10. pag. 417. scribit, *Oscitatio in Partu fere lethalis*.
- (2) in *Polyhiflore*, Cap. 1. Edit. Salmastii Parif. 1629, fol. p. 7. Ultraject. 1689, fol. p. 5.





§. II.  
*Oscitationem esse majorem respirationem, sed momentaneam & languidam.*

Videmus, in Oscitatione maxillas pectusque diduci, plurimum aëris a pulmonibus lente languideque suscipi, huncque spiritum brevi post, semel vel repetitis actibus iterum expelli: haec eo magis contingere, quo major est Oscitatio: eademque praeter voluntatem nostram accidere, neque in nostra potestate esse exortam Oscitationem omnino cohibere vel sufflaminare, licere tamen ejus modum aut gradum aliquatenus moderari, remittere, aut intendere. Ex quibus apparet, Oscitationem proprie magis ad naturalium vitaliumve actionum genus pertinere, exque his ad rictus dilatationem & respirationem, eamque majorem, quae quidem brevi temporis spatio peragatur. Quod ad oris diductionem attinet, ea quum nihil faciat ad actum enitendi foetus, nisi quatenus aërem liberius admittit, in praesenti tractatione praeteriri poterit, praesertim quum etiam clauso ore, quamvis paulo aegrius, oscitare liceat.

§. III.  
*Status corporis in Oscitatione, & 1. quidem in sanis.*

Porro animadvertimus, Oscitationem nasci solere tam in bona valetudine, quam in variis morborum generibus:





ribus: Et in sanis quidem, ubi corpus post defatigationem & lassitudinem vel exercita vitae munia aliquamdiu requievit, & tranquille sedit stetitve aut jacuit: ubi sigillatim in conclavi calefacto vel ante focum ardentem ita quiete agimus: ubi mane navigio vehimur: ubi languor & pigritia corpus occupat: ubi somnus obrepit: ubi somno perfuncti iterum expergiscimur; adeoque pro signo optimae valetudinis consuevit haberi, tam in homine quam brutis, oscitare a somno; id quod cum experimentis SANCTORII (\*) apprime convenit. In ipso tamen somno non contingit oscitatio. Mulieres quoque uterum gerentes in principio graviditatis frequentius oscitare solent, unde etiam signum conceptionis ducit HIPPOCRATES. (3)

§. IV.

2. in morbis in universum.

Quum morbi varii generis imminet aut jam scenam suam peragunt, Oscitationes praeter solitum existere solent, ut propterea inter signa morborum referantur ab HIPPOCRATE (4) caeterisque medicis. Vulgus pariter inde praesagium capere futuri morbi consuevit, & dicere, male se habere & aegritudinem praesentiscere, quia tam frequenter oscitare cogantur.

§. V.

(\*) *de Medicina Statica*, Sect. I. Aphor. 74. Sect. IV. Aphor. 32. 33. 34.

(3) *de Superfoetatione* Cap. 9.

(4) *Epidem. Lib. 2. Sect. 3. num. 34.*





## §. V.

3. *in morbis primarum viarum viscerumque ventris inferioris.*

Speciatim de Oscitationum frequentia conqueri solent homines, ubi molestiam in ventriculo sentiunt, seque pravis cibis & concoctu difficilibus operatos esse causantur (5). PHILIPP. HÖCHSTETTERUS (6) narrat casum Oscitationis, quam vocat, fastidiosae, a symptomate conjuncto. Similiter Oscitationes crebriores aut insolitas experiuntur ii, qui gravitatem sub hypochondriis sentiunt, qui flatuum ructuumve proventu laborant, qui cruento vomitu, ictero, aliisque viscerum ventris molestiis conflictantur (7). Oscitationis vitium a minutissimorum vermiculorum multitudine inductum commemorat CHRISTIANUS FRANCISCUS PAULLINI (8).

## §. VI.

4. *in morbis pectoris.*

Ab empyemate pectoris, ab abscessibus cordis aut pericardii, similibusve purulentis collectionibus etiam alia-

- (5) conf. HIPPOCRATES *de Prisca Medicina* Cap. 19.  
 (6) *Rararum Observationum Medicinal.* Decade 4. casu 9. p. 449. seqq.  
 (7) AVG. FRID. WALTHER. & IUST. GODOFR. GUNZ in *Disp. de Oscitatione*, §. XIX. p. 40.  
 (8) in *Lance Satyra*, Decade V. Casu I. conf. WALTHER l. c. p. 40.





aliarum interiorum partium, Oscitationes fuisse commo-  
tas, testantur observationes (9). Rarius, sed aliquan-  
do tamen, idem accidit in infartis a copioso sanguine alia-  
ve materia pulmonibus, in horundem nodis aut tophis,  
& similibus malis (10).

§. VII.

5. in morbis capitis.

Refert JOHVS VAN MEEKERN, (11) accidisse, ut  
aliquis in capite vulneraretur, vulnusque per verticem  
in dextrum cerebri ventriculum penetraret: hunc exinde  
repetentes crebro Oscitationes pandiculationesque fuisse  
perpeffum. Unde perspicitur, cerebri quoque laesiones  
ansam dare frequentibus Oscitationibus.

§. VIII.

6. in affectibus uteri.

Ab impedita menstrui sanguinis expurgatione nimi-  
am Oscitationem excitatam fuisse, annotavit VITUS  
RIEDLINVS (12). In *Commercio Literario Medico No-  
rimbergensi* (13) refertur, fuisse mulierem, quae,  
quum secundo gravidum gereret uterum, postremis tribus  
men-

(9) WALTHER c. l. p. 39.

(10) Id. ibid. p. 40. *Commercium Medicum Norimbergense* a.  
1732. p. 335.

(11) in *Observationibus Chirurgicis* Cap. 16. p. 37.

(12) in *Lineis Medicis*, Anno I. Novemb. 16. p. 385.

(13) Anno 1732. Hebdomade 42. p. 335.





mensibus quotidie per unam, duas aut tres adeo horas continue fere sine remissione oscitavit, et quum tertium concepisset, per totum hujus graviditatis tempus et sex a partu menses eodem vitio laboravit: hinc quum ex hectica mortem obiisset, & sectioni esset subjecta, in utero fistulosum ulcus, & in pulmonibus complures topi reperti sunt.

## §. IX.

## 7. in febris.

Februm accessiones adventum suum crebris Oscitationibus annunciare notum est, quum aliarum (14), tum maxime intermittentium (15), dum corpus segne, pigrum, & somnolentum fit, extrema inalgescere incipiunt, caet. adeoque observatur, paroxysmi vehementiam fere eo majorem esse, quo majores crebrioresque oscitationes antegressae sunt. Hinc etiam illae febres, quae frequentioribus stipantur oscitationibus, peculiari nomine vocantur Oscitatoriae. (16) Inprimis Quartanam comitari solent. (17) Soporosae, quae appellantur, similiter huic vitio valde obnoxiae sunt. Idem deprehenditur in variis febris, quae sedem in ventriculo

(14) LAVR. IOBERTVS *Decad. 2. Paradox. 4.* p. 105. Operum Tomo I. Edit. Francofurt. 1599. fol.

(15) Vid. HIPPOCRATES *de Flatibus* Cap. 12.

(16) Vid. *Acta Hafniensia*, Vol. IV. Observat. 62.

(17) LAVR. BELLINVS *de Febrib.* post Proposit. XI. p. 272. Edit. Lipsi. 1685. 4. item Propositione 33. P. 433 seqq.





lo & intestinis habent: & in aliis. Quotidianam, quae ante accessionem continuas fere pandiculationes conjunctasque Oscitationes permolestas prodidit, in medium affert C. F. PAULLINI (18).

§. X.

8. *in morbis sensuum motuumque.*

Praecedere pariter Oscitatio solet Epilepticos insultus, neque minus Apoplecticos. Eadem comitatur Lethargum (19), Lipothymiam, & Syncopen: quodsi syncope in ipsam mortem abitura est, perpetuae ante vitae finem oscitationes ingruunt. Uterinam quoque Suffocationem constat initium ab oscitatione saepe sumere, eaque finiri, dum ad se redeunt faeminae.

§. XI.

*Qui praecaeteris subjecti sint Oscitationibus?*

Cognoscimus, eos, qui magis frequentiusque oscitent, esse fere infantes, aetate juniores, faeminas, caeteris paribus, prae adultis maribusque. Vitium illud nimis vehementer oscitandi, quibusdam naturae, ab AULO GELLIO Oscedo dicitur: ait enim, (20) M. Brutum ad Censores delatum, quod in publico judicio stans sonore oscitasset, notam censoriam aliter effugere non potuisset.

(18) *Lance satura* Dec. V. Casu 9.

(19) BELLINUS *de Morbis Capitis*, titulo Lethargus, pag. 464. seqq. edit. allegatae.

(20) *Noctium Atticarum* Lib. IV. Cap. 20.





potuisse, nisi dejerando, se eo teneri vitio, quod *Oscedo* appellatur (21).

§. XII.

*Effectus oscitationis, i. boni.*

Effectus, qui *Oscitationem* consequuntur, partim boni, partim mali sunt. In bonis percipimus, qui quidem ad *respirationis* opus pertineant, pulmones & pectus *oscitationibus* allevari, sensus iisdem excitari, somni reliquias excuti, *lipothymiam*, *syncopen*, *hystericam suffocationem* depelli, & quae sunt similia: observamus quoque, fluxum *haemorrhoidum* & *menstruorum* *oscitatione* paulum citari. Hinc etiam signum *sanationis* incipientis inde capi vulgo consuevit.

§. XIII.

- (21) SERENO SAMONICO *de Medicina* versu 231. MARCELLO EMPIRICO *de Medicamentis* Cap. XI, APVLEJO *de Herbis* Cap. 29, significat foetorem oris sive scorbutum, stomacacem; nam *herbam Britannicam sumtam viridem*, *Oscedinem tollere* scribit APVLEJVS, quod idem remedium ad *stomacacem curandam* inventum esse, ex PLINIO constat, *Historiae Naturalis* Lib. 25. Cap. 3. ut mirari subeat, quod GABR. HVMELEBERGIVS ad Apuleji locum excitatum, & WALTHER. *de Oscitatione* §. XVI. nota 33. Apulejum & Samonicum de *oscedine* Gellii interpretantur. Alia est significatio *oscedinis*, qua de *Aphthis* exponit ISIDORVS *Originum* Libro 4. Cap. 8.





## §. XIII.

2. *mali effectus oscitationis.*

Contra aliis in conditionibus corporis rebusve conjunctis malum eventum sortitur Oscitatio: Nam, si inciderint haemorrhagiae incongruae, hae minus salubriter oscitationibus incitantur, unde metum injicere debet hic respirandi modus in haemoptysi, in excedente narium haemorrhagia, in magnis vulneribus, similibusque. Pariter metuenda est Oscitatio in herniis, in prolapsu ani, uteri, hujusque vaginae. Ab aëre copiosius adducto, praesertim frigidiore aut alias perperam constituto, nonnunquam accidit tussis, nimia pulmonum refrigeratio, aliaque mala.

## §. XIV.

*Concluditur, Oscitationis causam esse impedimentum aliquod functionibus vitae positum.*

Quae haecenus exposita sunt, declarant, Oscitationis indolem atque naturam consistere quidem in oris inductione & respiratione majore momentanea, §. 2. proptereaque etiam effectus inde eos expectandos esse, quae respirationem talem consequi solent, quales sunt motus sanguinis expeditior, excitatio sensus, pressio ventriculi caeterorumque viscerum abdominalium, cumque his naturalium partium, incitamentum haemorrhoidum & menstruorum, defectionis animi depulsio, herniarum haemorrhoidum mor-





morrhagiarumque exacerbatio, refrigeratio pulmonum, tussis, & quae hinc porro pendent vel cum his conjuncta sunt, §. 3. 12. 13. Sed quum in Oscitatione simul praefens sit pigritia, languor, lassitudo, somnolentia, §. 3. lethargus, syncope, lipothymia, hysterica suffocatio, §. 10. sensus aegritudinis, §. 4. molestia repletione viscerum abdominis, §. 5. itemque pectoris, §. 6. et uteri, §. 3. & 8. vulnus cerebri, §. 7. eademque praecedere soleat accessiones febrium, §. 9. nec non insultus apoplecticos epilepticosque, §. 10. denique ei potissimum obnoxii sint ii, qui phlegmaticis humoribus abundant, §. 11. haec indicant, partim, vires corporis motrices in oscitatione quadamtenus esse languescentes aut oppressas, partim subesse materiam aliquam, quae motum oscitationis irriter atque exsuscitet. Ex quibus porro jure colligi videtur, causam oscitationis esse impedimentum aliquod functionibus vitae, proprieque illis ad respirationem & manducationem pertinentibus, positum, quo exstimulentur muscoli ad contra agendum.

## §. XV.

*Oscitationis leviolem vim esse.*

Quodsi causa illa sive impedimentum levius est virtute oscitationis motuve, superatur ac removetur: ut, dum reliquiae somni, syncopes, uterinae suffocationis discutuntur, caet. Sin majus graviusque est, quam ut motu oscitationis vinci possit, in irritum cadit iste conatus; ut in lethargo, febribus, apoplexia,

B 2

epi-





epilepsia, plurimisque reliquis supra propositis affectuum exemplis. Adeoque satis apparet, plerumque aliarum actionum aut rerum vires majores accedere debere ad efficiendum, ut impedimentum illud superetur aut eliminetur: & Oscitationem aliquod tantummodo momentum ad eam rem conferre, aut saltem signum esse conditionis statusve corporis. Quapropter mihi videtur gravissimus alias autor & magni merito faciendus, h. BOERHAAVIUS (22) aliquid nimium virtutis & utilitatis Oscitationi tribuisse, dum putat per oscitationem *expandi omnes fere simul musculos voluntarios, omnes humores corporis per omnia vasa moveri, sanguinis per pulmones agitationem fieri celerrimam, aërem fortiter expelli*, & quae sunt reliqua, ex contemplatione fortassis partium & mechanismi deducta, non ita plane phaenomenis & morborum observationibus respondentia: quin etiam oscitationem Vir Optimus cum pandiculatione confudisse videtur.

§. XVI.

*Oscitationem indifferenter se habere ad bonum aut malum effectum praestandum.*

Rursus, si mutationes illae, quae motu Oscitationis efficiuntur vel saltim adjuvantur, vitae & valetudini conveniunt, ipsa Oscitatio salutaris est: ut in promovendis men-

(22) in *Institutionibus Medicis*, §. 638. & *Praelectionibus in eas* ab Ill. HALLERO editis Vol. IV. p. m. 576. & Vol. V. p. 242.



mensibus & haemorrhoidibus, in torpore somnolentiave excutienda, in deliquiis animi dispellendis, caet. §. 12. Sin contra minus ista conveniunt integritati partium & functionum animalis oeconomiae, mala noxiaque est Oscitatio: ut in nimis haemorrhagiis, in herniis, proci-  
dentia ani aut vulvae, pulmonum algore, reliquisque, §. 13. Vnde perspicitur, Oscitationem indifferenter se habere ad valetudinem, ita ut aequae mala ac bona fieri possit: licet per se semper ad bonum finem tendat, & quemadmodum GALENVS (23) docet, *purgamentorum expellendorum causa proveniat.*

## §. XVII.

*Quid ad partum enitendum opus sit?*

His praemissis, nunc videamus, quam rationem Oscitatio habeat ad actum pariendi: quae altera tractationis propositae pars est. Ad partum absolvendum, id est, ad enitendum infantem, opus esse constat validiore atque intentiore actione uteri connexarumque cum eo partium, eaque propter etiam excitatiore influxu sanguinis & spirituum: eandem vero actionem vehementer adjuvari a forti inspiratione, qua spiritu multo adducto retentoque, & diaphragmate contracto venter premitur, unaque uterus, quo foetus majore nisu conjunctisque viribus propellatur. Quicquid igitur confert ad aërem multum in pectore colligendum ibique fortiter comprimen-

(23) *Commentariis in Hippocratis Epidem. Librum VI. Commentario 5. Cap. 3.*





mendum, haecenus enitendi laborem adjuvare credendum est: quicquid contra languidiori fervit respiracioni, illum remittere.

§. XVIII.

*In Oscitationis statu magis remitti parturiendi laborem, quam adjuvari.*

Jam vero demonstratum est, in Oscitatione plurimum quidem aërem intra pectus suscipi, iterumque expelli, & sic respiracionem solito majorem contingere, §. 2. premi ventrem uterumque, §. 13. & excretionem aliquam augeri, §. 12. 13. Haecenus ergo actionem uteri in propellendo foetu ab Oscitatione adjuvari necesse est. Sed forti opus est inspiratione ad enixum potenter promovendum, longioreque spiritus suppressione, §. 17. at Oscitatio est languidior respiratio, & spiritus retentio brevior, §. 2. ejusdemque vis debilior est, nisi aliae vires majores concurrant, §. 15. conjungitur autem cum oscitatione languor virium reliquarum, & pigritia motuum, §. 2. 3. adeoque remissionis virium motricium signum est oscitatio, §. 17. Ex quibus sequitur, ut admodum parum emolumenti ad promovendum partum ab Oscitatione expectandum sit, eaque potius pro indicio haberi debeat fatiscens virtutis ad enitendum necessariae, sive, quemadmodum SOLINVS loquitur, *mora suspendat puerperia*, eaque, nisi alia ratione succurratur, etiam *lethali*.

§. XIX.





§. XIX.  
*Objectio a partibus per somnum matris, immo post  
 hujus mortem factis.*

Dubitari quidem posset, an timendum sit, ne talis languor oscitantis puerperae enixum remoretur: siquidem compertum est, per ipsum adeo matris somnum (24), quin etiam post ejus mortem jam obitam (25), saepius infantes, tam vivos, quam emortuos, in lucem prodisse. Quodsi partus in medio somno, ubi quies est musculorum moventium, & post mortem ipsam, ubi omnis generis motus perierunt, fieri potest; multo magis credibile videtur, eum in languore oscitationis, ubi & aliquae musculosarum partium actiones & vitales motus supersunt, absolvi posse.

§. XX.  
*Solutio dubitationis, quae a partu per somnum  
 movetur.*

Cui quaestioni ut respondeam, observo primum, si casus illi, in quibus enixus per somnum contigisse nar-

(24) Vid. b. HEISTERI *Diss. de partu mirabili foetus vivi in somno matris profundo*, Helmst. 1751. 4. in qua per multa exempla similia collecta vel allegata videre licet.

(25) Ut exemplis pluribus in medium allatis ostendit ABRAHAM VATERVS in *Diss. de partu hominis post mortem matris*.





narratur, rectius considerantur, patescit, somnum illum ita dictum verius fuisse intermissionem sensuum internorum externorumque, quae in epilepticis apoplecticisve insultibus, sicut fieri assolet, incidit, ipsumque partum istis convulsivis motibus partium interiorum, cumprimisque uteri, fuisse excussum: vel talem convulsionem sternutatorio fortiore excitatam fuisse, ut in exemplo HARVELI (26), unde, scribit, *commota parturiens, licet stupore usque adeo obruta esset, ut sternuere aut excitari nequiret, totius corporis convulsione quadam tentari coepit, quae ab humeris exorsa, paulatim per totum corpus ad inferiora pertingebat: Quotiescunque autem stimulo hoc usus sum, promovebatur partus; tandemque inscia matre & in affectu comatoso adhuc permanente, natus est infans sanus & vegetus.* At in ipsis convulsionibus nulla contingit Oscitatio, neque in ipso Oscitationis statu convulsiones: diversus igitur omnino est corporis status in oscitatione & in convulsivis motibus, unde nec ab Oscitatione sperari poterit, sicut a spasmodicis motibus, ut inter Oscitandum scilicet infans elidatur; sed potius e contrario timendum, ut supra dictum est, ne partus a languescentibus in oscitatione viribus motibusque suspendatur atque interrumpatur.

§. XXI.

(26) de Generatione Animalium, Capite de Partu, p. 266.

Edit. Londin. 1651. 4.





## §. XXI.

*Alterius dubitationis, quae a partu post mortem adeo matris ducitur, solutio.*

Quod ad alteram objectionis partem attinet, qua dicitur, si foetus etiam tum in lucem ex alvo matris prodire potest, quemadmodum per saepe factum est, postquam mater jam ex vita discessit & motus ejus omnes in perfectam abierunt quietem; longe facilius edi partum posse putandum in Oscitatione, dum adhuc motus omnis generis, quantumvis languentes, tamen reapse supersunt & per ipsam Oscitationem aliquantum saltem incitantur. Verum in exemplis, quae proferuntur, partuum post mortem puerperae factorum deprehenditur, antequam mors evenerit, matres in difficili pariendi labore diu multumque gravissimis corporis, & maxime partium enixui destinatarum, agitationibus exercitas fuisse, quibus licet succubuerint & postremum ipsam reddiderint animam, tamen & ante, quam hoc contigerit, dumque tantummodo sensus ac vita sopore quasi oppressa fuit, infans spontaneis automaticisve uteri & junctarum partium motibus paulatim in vaginam excussus est: & post vitam adeo finitam, partim reliqua adhuc, quae in musculosis fibrosisve partibus post mortem superesse aliquantisper animadvertitur, uteri, ejus cervicis, ac vaginae contractione, partim aëris, (a) putredine in abdomine resoluti,

in-

(a) Conf. EPHEMER. NATVRAE CVR. Dec. III. ann. 3. obs. 44.





in uterum pressione, a ulterius propulsus atque promotus fuit; nisi subinde etiam obstetricia manus accessit & suppetias tulit. Contra, si Oscitatio &, qui hanc comitatur, corporis languor viriumque & motuum remissio in puerperii moliminibus intervenerit, deficit praecipua vis, qua partus ad optatum exitum perduci debet, id est, dolores matris laboresque parturiendi fatiscunt, interrumpuntur, ac sufflaminantur: unde nec spontanei musculofarum partium motus, vel spasmi, qui in vitalium actionum ac sensuum oppressione sive sopore locum inveniunt, in Oscitationis statu subnasci poterunt: adeo ut etiam hac ex parte nullum pro propellendo ejiciendoque foetu auxilium expectandum sit. Ipsius autem foetus, adhuc fortasse viventis, actio nimis debilis videtur, quam ut ab nixibus uteri & vaginae destitutus, se ipse ex his angustiis extricare possit: etsi VATERYS (27) huic fere soli hanc potestatem attribuat.

§. XXII.

*Casus Oscitationis, quae post enixum accidit.*

Non autem in enixu tantum sive inter enitendi laborem incidit Oscitatio, sed etiam post eum peractum & quum infans jam in lucem editus est. Cujus generis casus memorabilis mecum communicatus est ab amico meo D. & Professore GE. MATTHIAE. Erat primipara, jam ultra triginta annos aetate progressa, sanguinis & succorum plena, satis firmae fibrarum compagis: cui caeterum, dum

(27) in Diss. modo allegata, passim.





dum uterum gerebat, sanguis, prout necessitas postula-  
verat, missus erat. Haec nocte circiter media sentit pa-  
riendi laborem accedere: in quo etiam brevi post, ruptis  
membranis foetum includentibus, liquor, quem aquam  
mulieres vocare consueverunt, effusus est. Hinc per  
totam diem subinde dolores parturienti mulierculam ad-  
orti sunt, donec tandem visum est tempus eam in sella col-  
locandi; in qua per aliquot horas strenue in enitendo foe-  
tu laboravit, subinde potu boni vini refecta & recreata.  
Tandem enixa, quum secundis quoque ablatis a sella du-  
ceretur ad lectum, & prope hunc paulisper staret, dum  
accommodaretur, multum sanguinis perdidit; & in ani-  
mi defectionem incidit. Confestim lecto composita est,  
riteque curata: quibus rebus excitata quum esset, re-  
petitas aliquoties Oscitationes exercuit, multumque qui-  
ritavit, quod somnus, ut dicebat, in quo tam suaviter dor-  
mivisset scilicet, sibi excussus esset, rogitans, ut sibi  
eum, in quem adeo proclivis esset, iterum capere per-  
mitteretur. Quod quum negaretur, contraque in ea excitan-  
da pergeretur, plane ad sese & in statum vigilantis redi-  
it: tum reliqua, quae puerperium consequi solent ac de-  
bent, satis bene prospereque cesserunt: natâ quoque pu-  
ellâ optime valente, omniumque partium ac membrorum  
integritate gaudente.

## §. XXIII.

*Affectum relatum fuisse Syncopen.*

Quem casum si propius consideramus, perspicimus  
fuisse Syncopen. Etenim sanguis, qui tempore gravidita-  
tatis





tatis in vasis sinibusque uteri, vehementer expansi atque amplificati, maxima copia colligitur, & inter ipsos parturiendi labores nixusque plenius ac fortius ad naturalia loca propellitur, idque eo magis, quo difficilius longiusque partus negotium procedit, muliere caeterum firmi validique fibrarum habitus & sic satis vegeta, ac vires potu vinoso reficiente, ut in praesente primiparae exemplo; in hoc ergo statu, adaperitis per extractionem, quantumvis lenem ac placidam, secundarum, vasorum osculis, insuper faemina in erecto corporis situ consistente, sanguis ex naturalibus pleno rivo celeriter profluxit. A qua profusione sive haemorrhagia uterina quum vasa humorem vitalem vehentia subito nimiumque exinanita sint, cordi subtractum est, quod ei submitti sufficique debuisset, sanguinis. Itaque cordis cava sive ventriculi iusto minus impleti sunt: unde consecutum est, ut neque satis expandi, neque contrahi satis potuerint, id est, diastole cordis & systole vacillavit, atque per longiorem temporis intercapedinem hic alternans cordis motus intermissus est & tantisper quievit. At quum a pulsu cordis non tantum sanguinis in partes fibrasque motrices influxus, sed etiam cerebri functio liquidique ab eo secreti motus ad sensuum organa pendeant; necesse est, ut quiescente corde etiam sentientium motriciumque partium ministerium sufflaminetur: id est, ut motuum intermissio animique deliquium ac sopor obrepat. Qua in re quum natura Syncopes posita sit, sequitur, ut commemoratus affectus hoc nomine appellandus sit.



## §. XXIV.

*Talem Syncopen valde anceps, & periculi plenissimum morbi genus esse.*

Iam satis inter omnes constat, & a quolibet experiendo quotidie cognosci potest, vitam hominis in alterno dilatationis & contractionis cordis motu verti, mortem contra hujus reciproci motus extinctione censer. Est autem syncope systoles hujus & diastoles interceptio, §. 23. Ergo, nisi reditus ad istum motum ex syncopa detur, ipsa mors est. Unde consequitur, ut mors, quae quidem a corde pendeat, semper in syncopa consistat. In ea porro syncopes specie, quae ab uterina haemorrhagia post difficilem partum nascitur, tanto peior res est, quanto magis vires pariendi laboribus attritae sunt. Ad syncopen enim abigendam usumque vitae restituendum opus est, ut motus cordis & arteriarum iterum incitetur, quo circulus sanguinis in ordinem suum redeat, sicut ex praecedente §. perspicuum est. Ut autem hic motus revocetur, justus virium modus adsit necesse est, quibus humores imprimisque sanguis commoveantur, versus cor propellantur, & per hoc circumagantur. Sed quum a partu difficili, praesertim longiore, vires mirifice atterantur affliganturque; facile est ad intelligendum, tanto minorem revocandi circuli sanguinis spem in ejusmodi syncope superesse, quanto magis vires debilitatae sunt. Unde sequitur, ut in syncope, quae post enixum, eumque praecipue difficilem, incidit, vita in summum adducatur discrimen.





## §. XXV.

*Qua ratione Oscitatio in Syncopa exoritur?*

Oscitationem oriri, quando functionum aliquod impedimentum in ore faucibusve & pectore vicinisque partibus subnatum est, conjuncto languore motuum, eandemque eum finem habere propositum, ut motibus incitatis impedimentum istud amoveatur, ex superioribus abunde patet, vid. §. 14 & 16. In Syncopa autem, quum pulsus cordis & arteriarum intermittat, neque sanguis nervosusque liquor ad partes propellantur, §. 23. motus reliqui, qui nimirum ab isto sanguinis ac spirituum circulo pendent, vel omnino intercipiuntur, vel, si qui supersint aut redeant, saltem vehementer langueant, necesse est, §. 24. Simul apparet, motibus intermissis aut languentibus subsistere in partibus collectos humores, idque maxime circa pectus ac fauces, quae loca cordi proxima sint, & in quibus major humorum copia colligi moverique consueverit, nunc autem per syncopen hi motus subito sistantur. Sed a subsistentibus humoribus obstaculum nascitur functionibus motibusve partium, praesertim pectoris & oris, in quibus nimirum maxime isti colliguntur, ut modo dictum est: A quo suborto obstaculum gravantur irritanturque muscoli, quousque aliquis saltem sensus superest, ut illud impedimentum amoliri contendant. Irritantur autem cum primis muscoli illarum partium, in quibus obstaculum maxime natum est, id est, muscoli pectoris & oris. Sic status corporis praesens est, qualis ad Oscitationem excitandam induci consuevit, §. 14.

.VXX 2

E O

&amp;





& existunt causae vel occasiones a quibus Oscitationem proficisci annotatum est, ibid. Quum igitur nihil impediatur, quo minus istae causae in effectum erumpant; sequitur, ut ipsa Oscitatio exoriat in Syncopa: id quod etiam experientia magistra compertum est fieri, §. 10. & in enarrato casu factum est, §. 22.

§. XXVI.

*Quando Oscitatio in syncopa futurae mortis index sit?*

Oscitationem a natura suscitari ad superandum & amoliendum aliquid, quod functionibus aut motibus corporis, praesertim vitalibus ac naturalibus, obstat, saepius dictum est. Observatum etiam, Oscitationis levio-rem esse vim ad illa impedimenta vincenda vel removenda, neque eam multum effici posse, nisi majores aliae vires accesserint, quae plenum praestare valeant effectum, §. 15. id quod cum primis ad graviores casus pertinere putandum est, & nominatim de syncopa, quae post difficiliorem enixum accidit, suspicandum, §. 24. In hac si vires corporis nimis fractae sint, ut neque sponte se colligere, neque Oscitatione suscitari, neque artis opera adjuvari possint; deficit praecipua facultas, quae cordis, artieriarum, ac nervorum motus necessariis revocari possent ac deberent, §. 24. Quod si non fieri potest, ut isti motus restituantur aut redintegrentur, syncope permaneat necesse est, id est, ipsa mors existat, ibid. Porro, quum Oscit-





Oscitatio signum fit languescentium virium motuumque, §. 15. specialiter in parturientibus aut enixis, §. 18. eademque simul conamen fit, quo natura impedimentum suis functionibus positum discutere, reliquasque vires motrices suscitare connititur, §. 14. 15. sequitur, ut, quo crebriores exoriantur Oscitationes, hoc magis vires motusque langueant, quos quidem natura repetitis crebrius oscitationibus exsuscitare contendit; & hoc majore in discrimine vita versetur. Hinc etiam patet ratio, cur in syncopa, si haec mortem allatura est, ante obitum perpetuae increbescant Oscitationes, velut §. 10. significatum est. Ergo perpetuae in summa virium debilitate Oscitationes, quae per Syncopen accidunt, indicio sunt, mortem esse subsequituram. Quae omnia satis declarant, quid de PLINII sententia statuendum sit, dicentis, *Oscitationem in enixu*, sive, quod in aliis libris manu scriptis legitur, (28) *enixa lethalem esse*.

§. XXVII.

*Quando ab Oscitatione signum redeuntis vitae vigorisque capere liceat in Syncopa?*

Contra, si rariores in Syncopa animadvertuntur Oscitationes: si virium motuumque ea est conditio, ut rum oscitationibus tum remediis variisque artis adminiculis se excitari sinant, & increbant: si corpus firmioris compositionis est, bene sperare jubent ejusmodi Oscitationes, praesagiumque offerunt fore, ut motus suscitatum

(28) Vid. CL. SALMASIVS *ad Solinum*, allegato loco.





itum reditumque sanguinis per cor & vasa redintegrent,  
& sic syncopam discutiant, vitaeque vigorem restituant:  
quemadmodum & in nostro exemplo contigit, §. 22.  
& alias quoque evenire animadversum est, §. 12.

§. XXVIII.

*Remediis opus esse & artis opera utendum, si in  
enixu vel post eum Oscitatio incidat.*

Restat, ut remedia subjiciam, quibus in ejusmodi  
perversis & incongruis Oscitationibus mulieri laboranti  
succurrendum sit, ne pereat, vel quibus eadem averten-  
da, ne suboriatur, & aut partum remoretur, aut vitam  
adeo matris pariter atque infantis in discrimen adducat:  
Quae quidem tertia ultimaque tractationis hujus pars est.  
Nam naturae soli negotium in hoc casu permittere, nimis  
anceps foret; siquidem languent in Oscitationis statu vi-  
res ac motus, §. 2. 3. 15. 17.: & Oscitationi conce-  
dere & obsecundare, pestiferum & praeceps ad mortem  
gradus esset; quandoquidem sic in soporem ruente mulie-  
re, ad quem nimirum magna proclivitas est, §. 3. 20.  
22. & puerperium lethali mora suspenderetur, §. 18. &  
suborta syncope in ipsam abiret mortem, §. 23. 24. 25.  
26. Itaque summa ope niti decet, ut aptis remediis sup-  
petiae ferantur motibus viribusque labascentibus, & ad-  
versus intempestivas Oscitationes, pigritiamque, ac som-  
nolentiam strenue pugnetur.







## §. XXIX.

*Quae generatim indicentur ad Oscitationem praever-  
tendam vel curandam?*

Oscitationi causam dare materiam aliquam parti-  
bus musculosis, maxime oris, faucium, ac pectoris, in-  
haerentem, fibrasque gravantem, ex §. 14. manifestum  
est. Indidem liquet, Oscitationem eum in finem institui,  
quo molestia illa motu hoc majore excutatur. Sed levio-  
rem esse Oscitationis potestatem, quam ut id efficere pos-  
sit, nisi aliarum majorum virium motricium actio conjun-  
gatur, in §. 15. demonstratum est. Has autem vires re-  
liquas languore oppressas esse ac torpere, docet §. 14. Ex  
quibus inter se comparatis colligitur, ut caveatur, ne  
eveniat Oscitatio, opus esse virium motuumque incitatio-  
ne ac confirmatione, quo per actionem istarum virium  
efficiatur, ne languoris & pigritiae status in corpore exi-  
stat, sub quo scilicet statu corporis alias Oscitatio nascitur.  
Quodsi jam haec orta est, vel talis in corpore virium mo-  
tuumve status inductus; ad curandum similiter excitanti-  
bus corroborantibusque opus esse, facile perspicitur. In  
ea quoque Oscitatione, quae sub Syncopa nascitur, ge-  
neratim nihil aliud indicari, inde patet, quia syncope  
nil nisi summus virium lapsus motuumque intercep-  
tio est.

§. XXX.





## §. XXX.

*Quae conditiones simul in Puerpera spectari debeant? sive Contraindicantia.*

Antequam vero talia, quae motus excitent, inprimisque ea, quae vehementius fibras & humores commoveant, in usum vocentur in Puerpera, studiose explorandum est, an infans recte ad exitum inveniendum compositus sit in alvo matris? neque minus, an iter, per quod evadere in auras oportet, ita comparatum sit, ut foetum transmittere possit? an vero re quadam praeternaturali occlusum sit? Nam nisi haec bene, & quemadmodum decet constituta sunt, vehementioribus remediis commoventibus in summum periculum & mater & infans praecipitentur, neque tamen quicquam promoveretur. Ergo si istae conditiones perperam se habeant, id est, si infans perversum situm teneat, si vagina coaluerit, & quae sunt similia, ante omnia haec manuum auxilio curanda sunt & in idoneum statum redigenda, vel totus adeo partus absolvendus: tumque demum, si adhuc opus est, ad fortiora motuum incitamenta progredi licet.

## §. XXXI.

*Quibus rebus vires puerperae sustentare atque incitare conveniat? sigillatim quali vino?*

His autem recte constitutis, quo vires ac motus in puerpera conserventur, augeantur, atque excitentur, nihil aptius videtur, quam *Vinum* potuidatum, quod etiam





HIPPOCRATES (29) ad oscitationem solvendam generatim laudavit, & quidem *aequa portione aquae permixtum*. Quidam, qui nimirum credunt ad languorem oscitationis discutiendum fortissimis opus esse, vel alium sensum verbis HIPPOCRATIS affingere laborant, vel eum reprehendunt atque corrigunt. Et quidem ad interpretationem verborum quod attinet, ex iis quae ANVTIVS FOESIVS (30) ad eum locum explicandum contulit, luculenter satis apparere videtur, eum verum verborum sensum esse, quem nos illis paulo ante tribuimus. Quod autem ad ipsum veritatis examen pertinet, sane languescentibus torpentibusve viribus ac motibus aliquid valentius & consuetis in victu rebus fortius opponendum esse, liquet: idque ipsum quoque prudentissimum HIPPOCRATEM permovit, ut aequa portione aquae vinum temperare praeciperet, quum alias Graeci multo plus aquae vino miscere consueissent, ex. gr. tres, quatuorve partes. Tale dilutum vinum, inprimis si per se validiorum est virium, ut Graeca solent esse, longe consultius videtur dare, praesertim in parturiente, quam plane merum: Hoc enim, metuendum est, ne sanguinem nimis incendat atque exagitet, caput petat, inebriet, confusosque ac turbulentos motus excitet, qui, tantum abest, ut enixum adjuvent, ut potius perturbent atque impediant; ne quid de aliis damnis ac periculis dicam. Contra ea, tem.

(29) *Aphorism. VII, 56.*

(30) in *Oeconomia Hippocratis*, verbis οἷος ἰσος caet. pag. 447. conf. IOH. CVNR. DIETERICHIVS in *Iatro Hippocratico* voce ἰσος, pag. 559. seq.





temperatum vinum puerperae bene convenire judicandum est, quatenus & facultate stimulante fibras suscitatur humoresque dividit, & copia sanguinem adauget, utraq̃ue autem re vires ac motus satis & justo moderamine recreat & concitat. Caeterum, in ipso usu respiciendum est ad habitum mulieris, ad consuetudinem, ad regionis temperiem & vini genus, & ex his rationibus aestimandum, utrum vinum merum an mixtum, quâque temperaturâ quove modo, propinare consentaneum sit. Nam, si vinum per se tenuius leviusque est, non decet ejus vim aquâ adjectâ nimium frangere: & sic reliquorum quoque ratio habenda.

§. XXXII.

*Quae alia remedia hic commoda esse possint?*

Praeter vinum etiam alia ad excitationem corporis statum conservandum aut reducendum adhibere commodum est: In his varios odores, siccos vel liquidos, qui naribus admoveantur, temporibus affricentur, aliisve locis: epithemata fragrantia: fricationes: sternutamenta ipsa, si majorem vim afferre necesse est: etiam adhortationes verborum, consolationes, praesagii felicitatis persuasio, cum alacritate speique pleno vultu, quibus rebus animus sustinetur, & mirifice nonnunquam additur fatiscientibus. *Medelam quoque assiduarum Oscitationum esse spirationem longam* tradit HIPPOCRATES (31), quod etiam a ratione non alienum videtur, siquidem tali modo potentius disjiciuntur

D 3

(31) *Epidem. Lib. VI. Sect. 2. num. 19. p. 799. edit. Linden.*







untur propellunturque quiescentia. Caeterum quae fortassis vehementiora pellentia pro partu adjuvando necessaria esse poterunt, hic omitto, quum de cura tantum Oscitationis intervenientis agere instituerim.

§. XXXIII.

*Quid agendum, ne post enixum Oscitatio per Syncope exoriat?*

Postquam mulier jam foetum suum enixa est, omni studio annitendum, ut vires puerperae placide reficiantur, nequaquam vero magis adhuc dejiciantur: Inprimisque opera danda, ne haemorrhagia uterina accidat, qua nimirum vires quam maxime prosternuntur, ut Oscitationes mali ominis & ipsa syncope eveniant, quae per facile mortem post se trahere possint. Quamobrem, ne talis cursus sanguinis prorumpat, nunc quidem a vino, incitamentis, & commoventibus abstinendum: opus autem est, ut enixa quantocius in lectum deferatur, placideque in commodo situ componatur, hoc est, ex CORN. CELSI (32) praecepto, *compressis feminibus illa in conclavi collocanda est, modicum calorem, sine ullo perflatu, habente: Super inum ventrem ejus imponenda lana succida in aceto & rosa tineta, vel alia similia: qualia etiam pulsibus in carpo imponere convenit, verbi causa, lintea aceto rosaceo imbuta: itemque, si qualiscunque erupturi nimium sanguinis metus subest, propinanda quoque, quae moderate refrigerent, astringant, motus sedent, ut ex cydonio malo, seminibus frigidis,*

papave-

(32) de Medecina Libro VII. Cap. 29. versus finem,



papavere, caet. confecta. Ita caveri poterit cursus sanguinis ex utero. Quodsi is jam ortus est, eadem facienda adhibendaque, sed majore modo.

§. XXXIV.

*Enixam non debere pedibus insistere, neque ingredi.*

Taxandus hic breviter est obstetricum quarundam mos, quo puerperas enixas sinunt aut jubent ipsas suis pedibus consistere & a sella ad lectum incedere; id quod mulierem, praecipue teneriorem aut difficiliore partu perfunctam, in summum conjicere potest discrimen. Nam subtili positura motuque corporis facillime cursum sanguinis ex naturalibus excitari posse, manifestum est. Quum autem alias fieri potest, ut sanguis prorumpat, tum inprimis si secundae five placenta jam educta est, osculis scilicet vasorum tum multo magis multoque pluribus reseratis.

§. XXXV.

*Quomodo jam nata per Syncopen, quae in haemorrhagia uterina contigit, Oscitatio curanda sit?*


Denique, si cruore nimium ex genitalibus profuso puerpera jam in Syncopen inciderit, & per hanc Oscitatio quoque exorra sit, ex Syncopa quidem, quae scilicet affectus primarius atque gravissimus est, inprimis summo studio allaborandum erit, ut mulier excitetur, suppressione sanguinis, quemadmodum in §. 33. praeceptum est, odoramentis, illitibus, epithematis ibidem & §. 32. commemo-





memoratis, fricationibus asperis, vellicationibus, inclamationibus, osculis mariti, inflatu aëris in pectus ad commovendum cor, propinatis etiam intro volatilibus. Quod si vero sic resuscitata est mulier, opera danda, ne relabatur in syncopen, vel mortem adeo: Quapropter reliquiae languoris, quas intercurrentes Oscitationes indicant, continuo discutiendae sunt; imprimisque cavendum prohibendumque, ne in somnum aut soporem, in quem tam prona est aemina, ruat: hoc enim oppressa, revertente syncopa, mortem oppeteret. Neque vinum hic statim aut sanguinem fortiter commoventia, & sternutationes, conveniunt, a quibus nimirum sanguinis cursus recrudescere posset. Adhibenda autem reliqua, quibus vires colligi & moderatos motus excitari conservarique posse, modo, & in §. 32.

& 33. dictum est, quantum & quousque  
necesse erit.





01 A 6510


ULB Halle 3  
002 929 198



vol 18












DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
**OSCITATIONE IN  
ENIXV**

QVAM  
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICI  
SVB PRAESIDIO  
*EXCELLENTISSIMI ATQVE CELEBERRIMI VIRI*  
**IOHANNIS GEORGII ROEDERERI D.**  
MED. ET ANAT. P. P. O. ACADD. IMPER. PETROPOL.  
REGG. SVEC. ET GOTTING. SOC. PRINCIP.  
GOTTING. PHYSIC,  
FACVLT. MED. H. T. DECAN,  
PRO SYMMIS IN MEDICINA HONORIBVS  
AC PRIVILEGIIS LEGITIME OBTINENDIS  
*D. XVI. SEPT. M. DCC. LVIII.*  
PVBLICE DISPVTABIT  
**IOHANNES DAVID LAPEHN**  
PETROPOLITANVS.



GOTTINGAE  
LITTERIS POCKWITZII ET BARMEIERI ACAD. TYPOGR.